

# SCRIPTA

---

**Numéro Scripta** : 5881

**Auteur(s)** : Rotrou de Warwick, Évreux (évêque)

**Bénéficiaire(s)** : Chartres, Saint-Père (abbaye)

**Genre d'acte** : charte

**Authenticité** : non suspect

**Datation** : [...1157-1160...]

**Action juridique** : règlement conflit

**Langue du texte** : latin

## Analyse

Rotrou, évêque d'Évreux, notifie le règlement d'un conflit, à Évreux, entre les moines de Saint-Père de Chartres et Mascelin, prêtre de Chandai, pour certains revenus de l'église appartenant aux moines dans l'église de Chandai, et que Mascelin voulait diminuer.

## Tableau de la tradition

### Éditions principales

a. Combalbert Grégory, *Actes des évêques d'Évreux (XIe siècle-1223)*, à paraître sur E-Cartae(lien à venir)

Texte établi d'après a

Ego Rotrocus Dei gratia Ebroicensis episcopus tam futuris quam presentibus, presenti scripto, notum fieri volo quod inter monachos Sancti Petri Carnoti et Mascelinum, presbyterum Canziaci, pro quibusdam ecclesie redditibus ad monachos pertinentibus, quos predictus Mascelinus decurtare volebat, quedam discordia emerserat, que apud Ebroicas ita terminata est. Monachi et Mascelinus ante me fuerunt et causam suam aliquamdiu in presentia mea tractaverunt sed Mascelinus, injusticiam suam tandem me audiente recognoscens, et rectum in manu Theobaldi prioris Sancti Petri Carnotensis fecit et redditus quos clamabat eis in pace dimisit. Ubi cumque igitur aliquam annone decimam Mascelinus acceperit, monachi duas partes habebunt, et ipse terciam partem habebit. Habebunt etiam monachi medietatem minutarum decimarum, agnorum scilicet, lane et lini, et omnium ad minutam decimam pertinentium. Medietatem etiam omnium oblationum que in V festivitibus annualibus, in Nativitate scilicet, Theophania, purificatione sancte Marie, Pascha, omnium sanctorum festivitate, offerentur habebunt. Omnes etiam consuetudinales panes Nativitatis, Pasche et Ascensionis monachi et presbyter inter se equaliter partientur. Presbyter autem duo hospitia, que sunt in cimiterio posita, tenebit in vita sua; post illius autem obitum, monachi ea habebunt. Totum insuper cimiterium eis dono, et in perpetuum habendum concedo. Famulus autem qui Mascelini decimam traxerit fidelitatem monachis faciet; eandem fidelitatem monachorum famulus Mascelino faciet. Promisit etiam Mascelinus quod quidquid de decimis ad feodum suum pertinet ab omni calumpnia et impedimento monachis liberabit, quod si non fecerit, L solidos monachis reddet, quos ab eis accepit. Et de denariis istis reddendis, et de tota concordia a Mascelino tenenda, rogatu Mascelini, ego plegius fui. Mascelinus etiam, mittendo in manu mea manum suam, hanc concordiam affiduciavit a se firmiter esse tenendam. Huic rei interfuerunt viri quorum nomina subscripta sunt: Theobaldus tunc prior Sancti Petri Carnoti, Stephanus camerarius; Radulfus de Bello Monte, Rainaldus de Castello, monachi Sancti Petri; Guillelmus de Bello Visu, magister Garinus, canonici Carnotenses; Willelmus de Gloto decanus Ebroicensis; Ricardus Croc, Rogerius de Brionnia, archidiaconi Ebroicensis; Daniel

capellanus meus, Ricardus de Aspris, Rogerius de Crulaio, Garinus de Aquila, Paganus de Aspris, Gualterius de Sancto Sulpicio, Robertus de Prulaio, Gualterius, nepos Mascelini, Ernaldus Eschiflel.